

LIX CONCILIVM PROVIN. COLONIEN.

erat, ne sicut ille, ita & ipsi pereant. Nouerint ergo se tali muneri addictos, non vt sui, sed vt pauperum curam gerant, quos neglexisse, occidisse est, quid subtraxisse, sacrilegij instar est. Et quo vigilantiores in officio sint, singulis annis, aut sæpius, magistratui eius loci præsentè parocho rationem de omnibus reddant. Non meum est (inquit Prosper) dicere, quantum peccatum est eorum qui cibos pauperū sibi vsurpant, & vnde pauper victurus erat, præsumendo suscipiunt.

DE SCHOLIS, TYPOGRAPHIS

ac Bibliopolis. Cap. .I.



ECCLÆSIÆ REFORMATIO A SVM-
mis pariter & infimis, a capitibus simul & a parulis or-
dienda est. Paruuli enim sunt, qui succrescentes in maio-
rum locum subinde decedentium in reipub. tam eccle-
siasticæ quam secularis administratione succedunt, vt
consequens sit, ab ipsis præue ac nequiter institutis rei-
publicæ perniciem imminere. Quamobrem summo pe-
re refert, vt pueritia, quæ seges est omnium rerum publicarum, in timore do-
mini ac bonis disciplinis edoceatur. Id quod dominus præcepit Exodi. xiiij.
& Prouerbiorum sexto. Siquidem ea ætas nullis alijs vsibus accommoda-
per id tempus colligere poterit & sibi & reipublicæ luculentum fructum.
In primis autem operæ pretium nobis videtur, vt clancularij illi magistrelli,
qui in conuenticulis vicatim docent, prohibeantur, vtq; gymnasia illa ac
scholæ minores, in quibus pueri primis rudimentis imbuuntur, diligenter
repurgentur, præfectis illis didascalis seu præceptoribus, non tam eruditis,
quam sanæ doctrinæ, integræq; ac inculpatæ vitæ viris. Ideq; hac potissi-
mum tempestate, qua innumera pestilentes hæreses totam fere Germaniam
summo cum Christianismi ac reipublicæ detrimento, iusto dei iudicio per-
uadunt, ac veluti cancer serpunt, Quas quum pueri semel imbiberint, diffici-
le, imo impossibile erit, vt easdem penitus iterum eluant. Nam, Quo semel
est imbuta recens seruabit odorem Testa diu.

Exodi. 13
Prouer. 6

Horatius.

Scholæ inter visitandum repurgandæ ac instituendæ. Cap. II.

Quemadmodum vero didascoli pueros in classes digerent, quæ dein
ipsis prælegent, tam ad eruditionem, quam ad vitam Christianam
recte instituendam pertinentia, nos inter visitandum pro ratione cuiuscunq;
que scholæ trademus.

Apud singulas ecclesias habendus vir eruditus, qui clericos
eius ecclesiæ instituat. Cap. III.

Olim